



Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XIII. Matrem sibi uxorem sollicite procurasse, nullum tamen de matrimonio futuro, à Deo visum ei obtigisse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

V S V S.

Rursus argumentum se offert detestandi periculosa
sam amicitiam, quæ castum Alipiūm prope præ-
cipitasset in compedes uxorias. Tanto pericu-
losior est amicus improbus , quanto majoris
est autoritatis & opinionis , ut apparet in Ali-
pio.

C A P. XIII.

*Matrem sibi uxorem sollicite procurasse. nul-
lum tamen de matrimonio futuro , à Deo
visum ei obtigisse.*

1. E T instabatur impigre , ut ducerem
uxorem. Iam petebam , jam promit-
tebatur, maxime matre dante operam , quo
me jam conjugatum baptismus salutaris ab-
lueret : quo me in dies gaudebat aptari , &
vota sua ac promissa tua , in mea fide com-
pleri animadvertebat. Cum sane & rogatu
meo , & desiderio suo , forti clamore cordis
abs te deprecaretur quotidie , ut ei per vi-
sum ostenderes aliquid de futuro matrimo-
nio meo, nunquam voluisti.

2. Et videbat quædam vana & phantasti-
ca , quo cogebat impetus de hac re satagen-
tis humani spiritus : & narrabat mihi, non
cum fiducia qua solebat,cum tu demonstra-
bas ei ; sed contegnens ea. Dicebat enim
discernere se nescio quo sapore , quem ver-
bis explicare non poterat,quid interesset in-
ter revelantem te , & animam suam somni-
antem. Instabatur tamen, & puella peteba-
tur,cujus ætas ferme biennio minor , quam
nubilis erat. Et quia ea placebat , expecta-
batur.

V S V S.

V S V S.

1. *Dissipat Dominus non solum consilia principum , Ps.32,18,*
& cogitationes populorum , verum & parentum ac i-
propinquorum. Consilium autem illius manet in
eternum , quo Electis suis certa media ad salutem
præordinavit. Quia in re S. Monica quoque ,
etsi animo bono , erravit : filium conjugio de-
stinans , quem Deus sublimiori statui præpara-
bat.
2. *Inter alia signa , quibus veræ revelationes à*
falsis discernuntur , præcipuum est , interna in-
spiratio , qua certior fit anima , utrum ex Deo sit
aliquid , an ex Diabolo. Et hic est ille sapor , Deprobar.
quem S. Monica explicare non poterat , ut obser-
vat Gerson , qui plura indicia affert , & alibi re-
velationes ad similitudinem monetæ aureæ disting.
quinque indiciis dijudicandas censet. I. Pondere ,
II. Flexibilitate , III. Durabilitate , IV. Con-
figuratione , V. Colore. Pondus revelationi dat hu-
militas , discretio flexibilitatem , patientia durabilitan-
tem , veritas configurationem , caritas colorem , qui vi-
sioni Monicæ de matrimonio filii sane defuit ,
nam humanum & carnalem Spiritum sapiebat.

C A P. XIV.

Statuisse se cum quibusdam amicis in com-
muni vivere , verum id consilium conju-
galis vita causa , dissipatum.

- I. *E T multi amici agitaveramus animo ,*
& colloquentes ac detestantes turbu-
lentas humanæ vitæ molestias , pene jam
firmaveramus remoti à turbis ociose vivere:
id otium sic moliti , ut si quid habere posse-
mus , conferremus in medium , unamque
rem familiarem conflaremus ex omnibus ;
ut per amicitiæ synceritatem , non esset
aliud hujus , & aliud illius; sed quod ex cun-
ctis